



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

17 Venialium peccatorum remissio triplici ratione causari potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

sa aquam inmittitur. Et septima, dum dicitur, Deus in victæ virtutis, ut in sacerdotali Romano, & septem invocationes potissimum in huiusmodi benedictione concurrere creduntur, quia sanctificatur aqua in virtute septem donorum Spiritus sancti, ut per eundem Marfil. d. sec. 2, cap. 7, num. 34, & 35.

- 15 Effectus aquæ benedictæ ꝑ præcipuus est, ut per eam ante conspectum Domini peccata venialia remittantur, ex communi Theologorum sententia S. Thom. in 3; par. 9. 65; artic. 1, ad 6. & 8, q. 83, art. 3, ad 3, q. 87, art. 3; Scot. in 4. sent. dist. 15, q. 2, art. 3; & glo. in præm. sex: in ver. benedictionem, ubi Doctores omnes, & remittuntur per aquam benedictam peccata ex opere operantis, scilicet, quod actus ille devotionis, & reverentiæ, qua homo ad sacra recipienda movetur, peccatorum remissionem operatur, non quidem conferendo gratiam, ut in sacramentis, ꝑ quia necessaria non est gratiæ infusio pro venialibus remittendis, sed propter actum devotionis prædictum, ut explicat idem S. Thom. par. 3; quæst. 87; art. 3, in corpore, ubi ait, ad remissionem venialis peccati non requiritur novæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut, cum aliquis ferventer movetur in Deum.

- 17 Triplici ꝑ autem ratione aliqua causantur remissionem venialium peccatorum.

Primò causatur per infusionem gratiæ, & sic per Eucharistiam, & Sacramenta novæ legis.

Secundò, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, & hoc modo confessio generalis, unctio peccato-

ris, & oratio Dominicalis profuit ad remissionem venialium peccatorum.

Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas, & hoc modo benedictio Episcopalis, aquæ benedictæ aspersio, quælibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, & similia, operantur ad remissionem venialium peccatorum. Marfil. eadem sect. 3. cap. 3, num. 1. usque ad num. 11,

8 Sacerdos aqua benedicta ꝑ altare, ecclesiam, & populum aspergit, ut omnis immundorum spirituum spurcitia tam de habitaculo, quàm de cordibus fidelium propellatur, hæc enim virtus aquæ exorcizatiæ inest, & etiam, quia novus Christianorum populus baptisimatis sacramento fuit renatus, ita ministerio aquæ lota renatorum corpora lustrat, ac diluit, eodem modo, quo sanguis agni à prisco populo ad repellendum percussorem in postibus ponebatur, Duran. rationa: divino. c. 4. lib. 4 & Ugo de S. Viçt. inquit, Hac igitur aqua sanctificata fideles asperguntur, & habitacula fidelium illustrantur ab illusione; & infestatione malignorum spirituum, in quo effectu aqua benedicta figurari ꝑ potest in sanguine agni paschalis, qui in postibus habitaculorum ad repellendum exterminatorem Dei mandato ponebatur, ut Exod. cap. 12 & Marfil. ead. sect. 3. cap. 2, nu. 19, 20, & 21.

Effectus aquæ benedictæ ꝑ est duplex, spiritualis, & temporalis. Spirituales effectus ꝑ sunt septem.

Primus, quo profligantur demones ꝑ ex creaturis, & locis, ut testatur Petr. Abb. Cluniacen. coztaneus divi Bernardi, qui lib. 1: de mirac. c. 7. narrat, quemadmodum in monasterio Cluniacè. infirmus quidam videbat